



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

XXIV. Philochori,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

Joseph. libr. 1.  
contra Apion.

lito ergo fragmenta Scriptoris hujus apud Josephum; Israëlitici populi historiam à Mose traditam, quanquam fabulis aliquot infuscatam, reperies. Sed & Mosis ipse meminit nominatim, quem leges Ebraeis posuisse, & Osarphum esse dictum narrat, at genere Heliopolitanen fuisse mentitur.

Philochori,

XXIV. Meminit & Mosis Philochorus Atheniensis, tanquam vetustissimi Judæorum ducis. Id discimus ex Justini Parænesi. Vixit autem Philochorus Ptolemæi Philopatoris temporibus.

Aristobuli

Judæi,  
Euseb. Hist.  
Ecl. libr. 7. c. 12.  
Clem. Alex.  
Strom. 1.  
2. Mach. 1. 10.

XXV. Librorum Mosis explanationem lucubravit Aristobulus Judæus, Peripateticus Philosophus. Unum de Septuaginta Interpretum numero fuisse comminiscitur Anatolius apud Eusebium, quod temporum ratio non patitur; nam Ptolemæi Philometoris magister fuit, eique opus suum inscripsit, atque inde nonnulla profert Clemens Alexandrinus, nec alius est ab eo cujus mentio fit libro Machabæorum posteriore. Multum hic operæ ac studii in literis sacris posuit, & Judæorum Legem plurimum Pythagoræ, Platoni, ac Peripateticis Philosophis instrumenti ad veri disquisitionem subministrasse ostendit, & ante Ptolemæum Philadelphum Græcam Mosis interpretationem extitisse. Verba ipsius in volumina sua Clemens & Eusebius retulerunt.

Clem. Alex.  
Strom. 1. & 5.  
Euf. Præp. 1. 13.

Polemonis,

Euf. De Præp.  
Evang. libr. 10.  
Cyrill. adv. Jul.  
libr. 1.

XXVI. Ptolemæi Epiphaniæ ævo floruit Polemon, è cujus Græcæ historia insigne affert monumentum Africanus, de exitu Israëitarum ex Ægypto. Africani verba ipsa & in Chronicis Canonibus, & in libris De præparatione Evangelica consecravit Eusebius. Mosis ipse, tanquam ducis Judaicæ gentis diserte meminisse Polemonem scribit Justinus in Parænesi, & ex Justino Cyrillus adversus Julianum.

Eupolemi,

Euseb. Præp.  
Evang. 1. 9. c. 17.

1. Mach. 8. 17.  
2. Mach. 4. 11.

Clem. Alex.  
Strom. 1.  
Joseph. libr. 1.  
contra Apion.

XXVII. Subnectendus huic Eupolemum, quem quoniam laudat apud Eusebium Alexander Polyhistor, sequitur antiquiorem fuisse Sulla temporibus. Certe hunc ipsum esse Eupolemum filium Johannis, quem ad Romanos fœderis ineundi causa misit Judas Machabæus, multa persuadere possunt; nam & tempora congruunt; etenim quinto Demetrii Soteris anno, Ptolemæi vero Evergetis duodecimo videtur historiam suam contexuisse, ut apparet ex *μεσοπολις* ab illo petita, quam notat Clemens Alexandrinus. Unicum me movet Josephi *ἡνθῆν*, quo inter Græcos locat Eupolemum & Philonem Seniore, & Libros Sacros neutiquam ipsis lectos fuisse fatetur. Sed tamen videtur Græcos eos dixisse, quia Hellenistæ erant. Ait deinde non potuisse ipsos sancta Volumina satis accurate persequi, quia propter linguæ sanctæ ignorantiam, quam pauci omnino hoc ævo callebant, ad exemplaria Ebraica non poterant recurrere. Fieri sane potuit, ut cum animum appulerunt ad scribendam historiam, non tam Veterum commentariis, & præcis inhærenter memoriis, quam Traditionibus *παρὰ τὸν Ἰσραὴλ*, vel famigerationibus: quod scriptores faciunt nimis multi. Quid si aperte dicamus hic halucinatum Josephum, cum inter Græcos Eupolemum recenset, quem Hieronymus Judæum fuisse assererat, perinde ut Aristobulum & Demetrium? Sed & in hoc Demetrio errasse videtur Josephus, cum Phalereum cum esse putavit, qui longe alius est, Judæus nempe, & qui de Judæorum regibus scripsit, uti mox declarabimus. Eupolemum Mosis & Judaicæ gentis antiquitatem retulisse in literas, itidem ut à Josepho factum est, tradit ibidem Hieronymus. Illustria ejus fragmenta profert apud Eusebium is quem dixi Polyhistor. Mosem ille alicubi scripsit primum sapientem fuisse, cum tamen Abrahamum reliquos sapientia præstitisse antea dixisset. Sed notabile imprimis habet illud, falsum licet, Judæis primum Mosem literas tradidisse, Judæos Phœnicibus, Phœnices Græcis. Verius hoc adjicit, primum leges Judæis Mosem posuisse.

Hieron. De  
scrip. Ecl. in  
Clement. Alex.

Euseb. Præp.  
Evang. libr. 9.  
cap. 17. 26. 30.  
& seq.

Demetrii Ju-

daei,  
Euseb. Præp.  
Evang. libr. 9.  
Hier. De scrip.  
Ecl. in Cle-  
mente Alex.  
Clem. Alex.  
Strom. 1.

XXVIII. Celebratur quoque ab Alexandro Polyhistor apud Eusebium Demetrius quidam, quem Judæum fuisse, itidem ut Aristobulum & Eupolemum, indicat Hieronymus, & Mosis ac Judæorum *ἀρχαιογενίας* demonstrasse, quemadmodum à Josepho factum est. Librum de Judæorum regibus fortasse significat, quem ab ipso lucubraturum esse memorat Clemens Alexandrinus. Quibus temporibus vixerit, ignoratur vulgo. Mihi certe constat inter Ptolemæi quarti, sive Philopatoris, & Ptolemæi Lathyri ætatem floruisse. Hujus enim ætate vixit Alexander Polyhistor, à quo citatur; illius vero meminit Demetrius ipse in fragmento quod affert Clemens Alexandrinus. Longe ampliora hoc fragmenta, ex Alexandri illius libris deprompta, servavit Eusebius, quibus Jacobi profectio in Mesopotamiam, & reliqui ipsius, filiorumque ac nepotum casus ad mortem usque continentur, necnon & Mosis fuga in Madian ad Jethronem, ejusque cum Saphora conjugium, ac mirifica item virtus, qua amarus fontes coniecto ligno dulces effecit in Mara; unde in Elim profectus est, ubi duodecim fontes & septuaginta palmas reperit. Atque hæc accurate ad Scripturæ veritatem exacta sunt. Perperam, ut dixi supra, confunditur à Josepho Demetrius ille Ju-

Joseph. libr. 1.